

185

183

189

179

194

174

234

134

284

084

Ende

Anfang

174

gebam, suspiciens in coelum, quasi per Deum jurans, me esse securum, et per brachium me accepit dicens et tenens, quod non fugerem ab eo. Post longum circuitum vicorum in domum suam pervenimus, quae erat domus pulchra et ampla, habens pavimenta marmore strata polito et parietes vestitus tabulis marmoreis, et mirabar, quod sportarius tale palatum haberet. Duxit autem me sursum ad superiorem ambitum domus ad unam cameram magnam, quae plena stabat ramis palmarum, et dedit mihi optionem accipiendi placitas. Elegi ergo quas volui, et ei pecuniam tradidi Stabant autem uxores ejus in ostio alterius camerae retro cortinam, et occulte adspiciebant; colligatis autem ramis accepi eos super humerum et descendii. Volebat autem Sarracenus ille mecum pro reverentia ivisse, sed nolui aestimans, me viam scire. Processi ergo per longum, et nunc per vicum illum intravi, per alium exivi, et erravi ita, quod penitus ignoravi, ad quam partem me divertere deberem, nec erat in illa parte urbis hominum frequentia. Tandem obvium habui juvenem Sarracenicum, ad quem non aliter loqui poteram, nisi: ô Sarracene, fontico Cathalano! Statim autem juvenis intellexit me errasse, et ad fonticium Cataloniorum quaerere, apprehendit anteriorem partem scapularis mei et cum clamore et canto et magno risu per vicos usque ad fonticum praedictum (deduxit). Multas derisiones per illam viam sustinui, sine tamen molestia et laesione, nec curavi, sed laete et grataanter suscepit reductionem meam, et ita ramos in cameram nostram intuli et sportam mihi pro eis fieri feci et ideo multas sollicitudines cum eis habui et labores, vel forte plures, sicut mercator habere potest cum pretiosissimis mercibus, quas per mare in terram habet ducere.

Et cum hoc finit tractatus septimus totius Evagotorii, et ante inchoationem octavi tractatus describam Alexandriam, et in fine totam Aegyptum.

Circumscrip<sup>io</sup> civitatis Alexandriae ab antiquo, et qualis nunc sit in praesenti.

Alexandria civitas qualis sit nunc ex praemissis patet, olim tamen erat civitas Aegypti maxima, ante Christi adventum trecent-

